



## PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 85b/16/I

BEATISSIME PATER,


Aloisius Conti, Archiepiscopus Metropolita Firmanus, sensus filialis devotionis proprios necnon cleri et christifidelium suae pastorali curae commissorum erga Sanctitatem Tuam pandens, reverenter exponit apud Cluentum, intra fines suae Archidioeceseos, dioecesanum exstare Sanctuarium, sub tit. S. Mariae Apparentis, Compatronae Cluenti, ad quod frequentissimus confluit populus Dei, intercessionem Beatissimae Virginis imploraturus et ad sacramenta Reconciliationis et Ss.mae Eucharistiae accessurus. Anno quo sollemnitas titularis (V Iunii) diem dominicam incidit, peculiare sacrae functiones et varia spiritalia incepta in honorem S. Mariae Apparentis in praedicto Sanctuario sollemniter peraguntur. Ut autem per has quoque celebrationes salutaris devotio erga S. Dei Matrem in fidelibus magis augeatur et uberiores usque fructus gratiae supernaturalis hauriantur, praefatus Exc.mus Orator iubilarem Indulgentiam in perpetuum concessam, quotiescumque sollemnitas titularis in diem dominicam incidet, submisit a Sanctitate Tua pro illis implorat.

Et Deus, etc.

Die XXIV Maii MMXVI

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Summi Pontificis, supplicibus litteris Exc.mi D. Aloisii Conti, Firmani Metropolitanae, respondit: Plenaria Indulgentia in forma Iubilaei in perpetuum concedi non solet (cfr. S. C. Indulg., Decretum *Anicien.*, 10 Septembris 1839); attamen, pro bono fidelium, quoties sollemnitas titularis Cluentini Sanctuarii, sub tit. S. Mariae Apparentis, in diem dominicam incidet, toties donum plenariae Indulgentiae implorari poterit (cum elencho dierum, quibus plenaria Indulgentia desiderabitur: praesertim die, quo celebrationes sollemniter aperientur; die, quo claudentur; aliis diebus festis, quibus sollemnes functiones, pia exercitia, peregrinationes, processiones... in honorem S. Mariae Apparentis peragentur). Quot vicibus eadem Apostolica Paenitentia, plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus christifidelibus in supra dicto templo lucranda, iuxta preces elargiri poterit.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.



*Maurus Card. Piaccenza*  
MAURUS Card. PIACENZA  
*Paenitentiaris Maior*

*Christophorus Nykiel*

Christophorus Nykiel  
*Regens*